

LATINE: DE PLANTIS ARBORIBUSQUE


HILDEGARDIS BINGENSIS¹M^a TERESA BELTRÁN, M^a TERESA CASES, MERCEDES GARCÍA

(GRUPO GALATEA)

grupogalatea@gmail.com

Et terra habet sudorem atque humorem et succum. Sudor enim terrae inutiles herbas profert, et humor eius utiles herbas, quae comeduntur possunt et quae ad alias usus hominis valent. Succus autem eius vindemiam et germinantes arbores producit.

Herbae, quae per laborem hominis seminantur, et paulatim surgunt et crescunt, velut domestica animalia, quae homo in domo sua cum sollicitudine enutrit, per laborem illum, quo ab homine exarantur et seminantur, acerbitudinem et amaritudinem succorum suorum amittunt, ita quod humiditas eorumdem succorum qualitatem succi



¹ Los textos de Hildegard von Bingen elegidos para esta sección son un homenaje a la Ciencia y a quienes se han dedicado al cuidado de los demás en 2020, *pandemiae annus horribilis*.

hominis aliquantum tangit, et quo in modo cibis et potibus eius bonae et utiles sunt.

Herbae autem quae, cadente suo semine, absque labore hominis crescunt, et repente ac festinanter ut indomitae bestiae surgunt, contrariae sunt homini ad comedendum, quia homo laetando, comedendo et {crescendo} temperato tempore nutritur, quod in herbis praedictis non fit. Sed tamen noxios et infirmos humores in hominibus quaedam earum in medicina compescunt.

Omnis autem herba aut calida aut frigida est, et sic crescit, quia calor herbarum animam significat et frigus corpus: et in his secundum genus suum vigent, cum aut in calore, aut in frigore abundant. Si enim herbae omnes calidae essent, et nullae frigidae contrarietatem utentibus facerent. Si autem omnes frigidae essent, et nullae calidae, item hominibus inaequalitatem pararent, quia calidae frigori et frigidae calori hominis resistunt. Et quaedam herbae virtutem fortissimorum aromatum, austерitatem amarissimorum aromatum, in se habent.

Physica I, 12-17

Omnis arbores aut calorem aut frigus in se habent, quemadmodum herbae; sed tamen quaedam arbores calidiores aliis sunt, quaedam autem frigidiores, quia quaedam arbores maiorem calorem quam aliae calidae in se habent, quaedam autem plus frigoris quam aliae frigidae in se tenent. Nam arbores fertiles sunt, et quae rectos fructus proferunt, ut silvestres, magis frigidae quam calidae sunt. Sed silvestres arbores quae grandiores et plures fructus proferunt quam aliae faciant, calidiores aliis silvestribus arboribus sunt. Quae autem minutos et paucos fructus proferunt, frigidiores aliis silvestribus arboribus sunt.

Physica III, 1-4

HILDEGARDIS BINGENSIS, nata anno MXCVIII in vico Bermersheim, teutonica doctissima virgo et cum spiritu propheticō, iuxta oppidum Bingam abbatiam anno MCL fundavit et ibidem abbatissa fuit. Saepe de variis disciplinis scripsit, sicut musica, physica, theologia et cetera. Etiam eius visiones ab illa narratae sunt atque cum claris coloribus visionum imagines pinxit. Obiit anno MCLXXIX.

